

**Disputatio medica inauguralis de cataracta ... / Eruditorum examini subicit
Matthaeus Christy.**

Contributors

Christy, Matthew, 1778-1818.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1799.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wmchqeqa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CATARACTA.


THE
CATARACTA



DISPUTATIO

IN AUCTORITATE

CATARACTA



LIBRARIUS

PROFESSOR

1788

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CATARACTA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MATTHÆUS CHRISTY,
SCOTUS,

CHIRURGUS,

NEC NON

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOCIUS HONORARIUS :

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

=====

M DCC XCIX.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRIS OPTIMIS,
BENJAMINI BELL,

CHIRURGO PERITISSIMO,

A QUO

MEDICINÆ INITIA,

DIDICIT,

SINCERAMQUE EXPERTUS EST AMICITIAM;

ET

JACOBO THOMSON

ARMIGERO,

JURIS

CONSULTISSIMO,

A QUO

PLURIMA ACCEPIT BENEFICIA;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATO

D. D. C.QUE

MATTHÆUS CHRISTY.

LIBRARY OF THE
BENJAMIN BELLE

CHURCH OF CHRIST

A. D. 1800

M. D. C. C. C.

THE
CHURCH OF CHRIST

ET

JACOB THOMSON

AMSTERDAM

1800

CONSISTING

A. D. 1800

THE CHURCH OF CHRIST

THE CHURCH OF CHRIST

AMSTERDAM

1800

THE CHURCH OF CHRIST

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CATARACTA.

DEFINITIO.

§ I. **C**ATARACTA, de qua nobis consilium
est pauca scribere, a CULLENO, præ-
claro auctore, definitur, “*caligo ob maculam*
“*opacam pone pupillam**.”

A

II. Hic

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii.
Gen. xii. Spec. I.

II. Hic morbus, uti ex sectis post mortem oculis constat, aut lenti crySTALLINÆ ipsi insidet, aut capsulæ hujus, aut utrisque simul: at longè tamen sæpissime ipsi lenti; nam rarò in capsula, aut in hac et lente ipsa simul, consistit.

SIGNA.

SIGNA.

III. *Cataracta*, quoties non ex malo corporis habitu oritur, sed ex ipsius partis vicio, inobservata obrepit, et lentè increscit. Plerumque incipit a levi oculi caligine, quam nullus dolor comitatur. Interea tamen homo conqueritur de molestia, qualem pulvis *corneam* offendens movere solet; qua se liberare lenibus subinde frictionibus conatur, sed, repetitis conaminibus, nihilo tamen clariùs res oblatas cernit.

IV. *Cataracta* ferme increscit, dum æger nihil ampliùs possit, quàm lucem distinguere a tenebris. Rarò verò *simplice cataractâ* aliquis cæcûs fit. Quando enim lens ipsa, aut
ejus

ejus capsula, non, ex toto, luci impervia est, homo, licèt nihil interdiu discernere possit, obscurâ tamen noctu luce res oblatas confusè distinguendi potens est; tunc enim pupula, præ languida luce, usque ampliatur, ut impervia lentis pars ejus lumini non, ex toto, officiat.

v. Per totum morbum, iris motûs potens est, atque, prout lux clara aut obscura oculum permanet, pupulam contrahit aut ampliât. Hoc saltem accidit in *simplice cataracta*, qualem nunc persequimur.

vi. Seriùs verò ociùs, dum increscit *cataracta*, pars, post pupulam luci impervia, conspectu facilis est, ex colore lentis in alienum, albidum, nempe, cinereum, flavum aut ferrugineum mutato. Haud verò semper, dum lens in oculo manet, quo ex alieno colore luci
impervia

impervia sit, certò distinguere possumus: quippe, sicuti medici comperti sunt, impervia luci lens, quæ, quamdiu in oculo manet, margaritam colore simulat, extracta haud rarò flava est *.

VII. Quo tempore colore non suo lens luci impervia fit, multùm quoque spissitate mutatur et duritiâ: non tamen æquè in omnibus; nam in nonnullis haud spissior tenui jusculo est, in aliis soliditate et duritiâ os vel cornu æquat.

VIII. *Cataracta*, quam efficit tenuis (VII.) humor, ex lente exteriùs, ex parte, solutâ formatus, *fluida* nominatur. Hanc speciem RICHTERUS, atque ii qui cum eo consentiunt, putant oriri ex humore, qui naturâ interponitur

* Vid. Translation of *A Treatise on the Extraction of the Cataract* by Dr RICHTER of GOTTINGEN, p. 14.

tur inter ipsam lentem et ejus capsulam, luci impervio facto. Hunc humorem RICHTERIANI *liquorem Morgagnianum* nominant, et *cataraclam*, quam efficit, *opacitatem liquoris Morgagniani*.

IX. Nunc verò inter *anatomicos* convenit, *liquorem Morgagnianum* non existere. Humor enim, cui hoc RICHTERIANI dixere nomen, est nihil sanè aliud, quàm exterior lentis pars, quæ naturâ mollior est; atque *cataracla fluida*, quam iisdem placet *opacitatem liquoris Morgagniani* nominare, in hac parte, supra consuetudinem tenui seu soluta, consistit.

X. Multi sunt, quibus videtur, incipiente *cataraclâ* lentem mollescere, atque illâ incrementum spissescere aut indurescere. Ex his assumptis concludunt, *cataraclæ* initio,
partem

partem lentis luci imperviam semper mollem esse, at, sub finem, justo duriores.

XI. Eorum igitur (x.) linguâ, *cataracla dura* seu *matura* esse dicitur, primùm ut margaritam candore æmulatur, et tanta visûs caligo est, ut æger possit duntaxat lucem et tenebras internoscere. Contrâ, quando pars lentis, luci impervia, colore lactea est, et æger vividos colores potest distinguere; pro concessio habent, imperviam luci partem solito molliorem esse, atque *cataraclam*, hinc ortam, *immaturam* appellant.

XII. Si lens sic paulatim duresceret, atque justa esset distinctio inter *maturam cataraclam* et *immaturam*, multùm sanè chirurgorum interesset, qui putant, *cataraclam* deprimendam esse potius, quàm extrahendam: etenim, uti infra videbimus, quò *cataracla* feliciter deprimatur, opus est, partem lentis luci imperviam,

viam, in qua consistit malum tollendum, satis firmam esse.

xiii. Ita verò (xii.) haudquaquam esse, multum dolendum est. Postquam enim *cataraëta*, per complures annos, continuavit, pars tamen lentis luci impervia, cui insidet, quæque margaritam candore æmulatur, adeò mollis est, ut, dum chirurgo extrahitur, in transitu per pupulam mutetur*.

xiv. Quo mollior est pars lentis luci impervia, in qua *cataraëta* consistit, eo amplior est, atque, uti observârunt chirurgi, eo propius pupulam accedit.

xv. Ne multis, considerantis, quis futurus sit eventus *cataraëtae*, et qua ratione hæc curanda sit, parum interest, quamdiu continuaverit,

* Vid. RICHTER. *Treatise*, pag. 9.

verit, aut qualis imperviæ lentis parti, cui insidet, color sit. Majoris, enimvero, momenti est, animadvertere, quousque visus officiatur, et oculus aliis, necne, malis morbisve opportunus sit, præsentibusve laboret*.

B

CAUSÆ

* Vid. BENJAMIN. BELL. *System of Surgery*, vol. iv. pag. 203.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

xvi. *Cataracta*, etiamsi plerumque oriatur in parte, interdum tamen in malo totius corporis habitu consistere videtur. Imò, uti observârunt medici, a parentibus nonnunquam pervenit ad prolem: JEAN enim testatur, sex ejusdem familiæ *cataractâ* cæcos vidisse*; atque RICHTERUS, uti certiores nos facit, *cataractam* extraxit ex oculo hominis, cujus pater et avus hoc morbo cæci fuerant, cujusque filius jam eodem affectus.

xvii. Quinetiam, uti a RICHTERO accipimus, *cataracta* nonnunquam subito, podagrâ a pedibus migrante, oritur. Idem, porrò, auctor est, duas *cataractas*, quæ, uti visum est,

ex

* Vid. JEAN. *Observat. sur l'oeil*, pag. 149.

ex mala quadam totius corporis proprietate ortæ fuerant, inauspicatò extractas esse, namque, haud ita multò post finitum opus, pupulas omnino concrevisse *. Hinc constat, quàm inutile sit, hujusmodi *cataraclas* extrahere conari: namque frustrà niti, neque aliud, artem exercendo, nisi odium aut dedecus quærere, extremæ dementiæ est.

XVIII. Auctor, gravis et fidus in primis, observavit, mulieres, quo tempore mensibus se purgare cessant, aptiores esse, quæ *cataraclâ* afficiantur, quàm aliis vitæ temporibus †. Hinc forsitan concludere licet, corporis plenitudine oculos in hunc morbum procliviores evadere.

CAUSÆ

* Vid. RICHTER. *Treatise*, pag. 2.

† Vid. BENJAMIN. BELL. *System of Surgery*, vol. iv. pag. 192.

CAUSÆ EXCITANTES.

xix. *Cataracta* nonnunquam oritur ex oculo percusso aut vulnerato. Interdum quoque inflammatio oculi in *cataractam* transit. Vis igitur extrinsecus oculo illata, atque hujus ipsius inflammatio, causæ *cataractæ* excitantes habendæ sunt. Plerumque verò causæ, quæ hanc excitant, parùm evidentes sunt. Plura igitur, de hac rei nostræ parte, dicere, ad cognitionem esset prorsus inutile.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

xx. Ex cognita *cataraclæ* sede, non possumus proximam ejus causam cognoscere. Quum verò nobiscum reputemus, proclivitatem in hoc malum interdum in plenitudine corporis consistere, atque ipsum haud rarò oculo inflammato, percusso, vel vulnerato excitari; adducimur, ut credamus, proximam causam esse vel lentis ipsius vel capsulæ inflammationem, quæ committit, ut in horum vasis humor luci impervius cumuletur.

xxi. Huic quidem (xx.) opinioni objiciatur, *cataraclam* lentiùs increescere, quàm ut inflammatione effici possit. Replicari verò potest, *cataraclam* non semper sic tardè
increescere;

increscere; nam interdum oculi inflammatione lentem ipsam, vel capsulam ejus, brevi prorsùs caligare, mirum cujus exemplum literis RICHTERUS prodidit*.

DIAGNOSIS.

* Vid. RICHTER. *Treatise*, pag. 140.

DIAGNOSIS.

XXII. *Cataracta* facilè distinguitur a caligine humoris aquei, quam pus in hunc effusum induxit: pure enim soluto hic humor colore lacteum simulat. Adhuc tamen faciliùs dignoscitur eâ caligine, quæ oritur ex contracta seu clausa pupula: hujusmodi enim caliginis causa inspicientium oculis manifesta est.

XXIII. Neque profectò difficile est, *cataractam* et *simplicem amaurosin* internoscere. In hoc enim morbo lens perlucida manet, neque ulla, post pupulam, pars luci impervia conspicitur. Pupula, porrò, ipsa ampliatur, atque fibræ, quæ ambiunt, eam coangustandi impotentes sunt.

xxiv. Haud verò rarò *amaurosis* et *cataracta* in eodem miserando unà existunt. Magni itaque interest cùm medicorum tum chirurgorum, scire, an *simplex cataracta* sit, an cum *amaurosi* conjuncta; propterea quòd, lentem extrahendo, compositum curari non potest malum.

xxv. Plerumque, *simplexne cataracta* oculum obcæcet, an compositum ex hac et *amaurosi* malum, scire possumus, animadver- tendo, quomodo se habeat pupula. In *cataracta* enim, contrà atque in composito malo, hæc se contrahendi et ampliandi potens est.

xxvi. Quoties autem in *cataracta* iris lentis capsulæ concrevit, non, ex pupula inspecta, solâne *cataractâ* caliget oculus, an hac et *amaurosi* unà, cognoscere possumus. Pupula enim se contrahendi impotens est, at-
que

que malum, per cætera, idem apparet, atque *cataracta* cum *amaurosi* conjuncta.

XXVII. Quoties ita (XXVI.) est, conandum oculum inspiciendo est discernere, lenti, necne, iris adhæreat. Nonnunquam hoc facere possumus. Quòd si, post oculum attento animo inspectum, quis de morbo etiamnum dubitat, debet experiri, quid valeant quædam medicamentorum, quæ ad *amaurosin* sanandam levandamve efficacissima comperta sunt. Hujus generis sunt exulceratoria atque ignis *electreus*.

XXVIII. Siquando horum usu homo res oblatas discernere potest; vel siquando, dum JUPITER fulgurat, fulgurationes percipit; est, quòd concludamus, lentem se movendi impotentem evasisse ex *amaurosi* cum *cataracta* conjuncta, non ex iride lentis capsulæ adhærente.

XXIX. *Cataracta*, denique, modò ex oculo læso non orta sit, inobservata plerumque incipit, lentè increscit, atque omnino nullum dolorem, vel saltem levissimum, movet. Quoties verò unà cum *amaurosi* visum obcæcat, toties plerumque dolet caput, atque infelix videre videtur oculis subinde offundi tenebras, aut scintillare ignes.

CURATIO.

CURATIO.

xxx. Quò *cataraclam* curemus, nobis consilium est, tempestivâ medicinâ, si possimus, lentis partem luci imperviam denuo perlucidam reddere; sin minùs, manu eam partem ab oculi axe demovere. De his deinceps fusiùs dicendum.

CONSILIUM

CONSILIUM PRIMUM.

XXXI. *Cataractas*, quæ inveteraverint, nunquam curavit medicina; incipientes verò haud rarò ad sanitatem perduxit.

XXXII. Hoc consilio, longè optima medicamenta et remedia sunt, hydrargyrus, exulceratoria, atque ignis *electreus*.

XXXIII. *HYDRARGYRUS*—Optimum ex hoc præparatum, quo *cataracta* incipiens curetur, est, uti inter omnes ferè medicos convenit, *urias hydrargyri dulcis*. Quò tamen hic respondeat, in ejus usu aliquandiu perseverandum est*. Alia, ex hydrargyro præparata, *muriati*

* Vid. BENJAM. BELL, *System of Surgery*, vol. iv. pag. 193.

muriati jam dicto efficientiâ cedunt, ideoque rarissimè nunc adhibentur.

XXXIV. *EXULCERATORIA*—identidem, dum in usu hydrargyri perseveratur, sincipiti, aut temporibus, aut ipsi oculo, palpebris interim clausis, superimponere, utile compertum est.

XXXV. *IGNIS ELECTREUS*.—Eundem quoque in finem, multùm aliquando prodest, scintillulas *electreas* ex sincipite aut ipsis etiam oculis elicere.

XXXVI. Cùm hydrargyrus, tum exulceratoria atque ignis *electreus*, itemque forsan *ætheris sulphurici* vapores*, stimulando partis morbidæ

* Hujus *ætheris* vapores, ut quidam ferunt auctores, multùm ad *corneæ* albugines curandas valent. Iidem opinantur, haud parùm ad *cataractam* sanandam valere. Utrùm verò responderint, an fefellerint, nescimus.

morbidaë vasa, prodesse videntur. Sic enim committunt, ut materia luci impervia, in lente deposita et lumini officiens, absorbeatur.

xxxvii. Si, postquam in horum usu aliquandiu perseveratum sit, nihilominus caligat oculus, partem lentis luci imperviam ab axe oculi manu cautè avertere conandum est.

CONSILIUM

CONSILIUM SECUNDUM.

xxxviii. Priùs verò, quàm explicamus, quemadmodum pars lentis caligans ab axe aciei demoveri possit, haud a re nostra alienum erit, paucis dicere, quæ res ancipitem ex opere eventum augurentur, quæ ab opere aggrediendo nos absterrere debeant.

xxxix. Si *cornea* aut oculi humores caligant, sat est, quamobrem manus abstineamus : sin duntaxat aqueus humor, *cataractam* extrahere licet ; quia, inter opus, hic humor effluit, atque, opere finito, suppeditatur novus perlucidus.

xl. Contracta pupula, qualis ex morbis quibusdam accidit, opus manu aggredi parùm profuturum

profuturum ostendit. Quoties pupula sic contrahitur, prodessetne novam pupulam cautâ et promptâ manu facere?

XLI. Quoties ex *cataracta* simul et *amaurosi* caligant oculi, manus vel peritissimi chirurgi nihil ad caliginem sanandam valent. Quibus sciant medici, duo hæc mala simul, necne, lumini officiant, suprâ (xxv.—xxviii.) expositum est.

XLII. Lentis imperviam luci partem, quæ nondum satîs concreverit et duraverit, acu deprimere aggredi, opus sanè est prorsùs inutile. Tenuitas autem et mollities non obstant, quò minùs optatò extrahatur. Quum igitur, ante opus factum, cognoscere, satîs, necne, concreverit pars lentis caligans, non possumus, satius est, quoties, de hac re, dubitetur, eam extrahere aggredi, quàm deprimere.

XLIII. Si iris capsulæ lentis adhæret, nonnullis tam medicis quàm chirurgis videtur, quare manus omnino abstineant. Concedendum est, quoties hæ partes cohæreant, *cataractam* manu curare tum factu difficilius esse, tum eventu magis incertum. Veruntamen, quum ex hoc opere tentato pendeat sola spes visûs misero relicta, et tentatum sæpe ad spem responderit, nobis non videtur, quamobrem ab eo aggrediendo absterreamur.

XLIV. Chirurgorum plerique nos docent, manus abstinendas esse, quando alter oculorum caligat, altero sano. Namque non solùm minùs necessarium putant caligantem oculum, sanandi causâ, ferro vulnerare, quamdiu sano homo cernit; sed etiam multùm verentur, ut, opere peractò, foci oculorum respondeant. Præterea, timent, ne inflammatio, quam opus moveat, in sanum oculum serpat, ut in *ophthalmia* haud rarò accidit, propter mirum consensum, qui,

D

nervorum

nervorum interventu, alteri oculorum cum altero intercedit.

XLV. An inflammatio, quæ ex opere oritur, de quo dicimus, pariter atque ea, quam *ophthalmiam* medici nominant, ex altero oculorum in alterum transeat, observandi occasio nondum nobis oblata est. Inclinant verò animi, ut rarò sic transire arbitremur. Siquando, post opus peractum, radii lucis per oculum transeuntes, qui ferrum perpessus est, ad focum tardiùs, quàm in sano, perveniunt, conspicillo, ex partibus oppositis, satìs, pro tarditate, convexo, fieri potest, ut bini oculi foco respondeant.

XLVI. Præterea, his (XLIV.) chirurgis obijci potest, *cataraclâ* alterius oculorum aptum, uti observavit RICHTERUS, alterum fieri, qui simili malo caliget; atque, id quod semel periculo compertus est hic auctor idoneus, *cataraclam*

ractam alterius oculorum extrahendo obstari, quò minùs increseat ea alterius; cujus item exemplum literis prodidit IVESIUS, qui RICHTERO, hac de re, accedit. Verùm confitendum tamen est, nullum unoculorum, cui alter oculus sanus manet, debere caligantem ferro secandum optare, nullum ei, ut optet, suadere medicum.

XLVII. Utrùm verò *cataraclæ*, quæ utrosque deinceps oculos obcæcant, ex malo quodam totius corporis habitu oriantur, an ex consortio, quod, nervorum interventu, uni oculorum cum altero intercedit, an ex utrisque, nondum exploratè cognitum habemus. Vero tamen proximum nobis videtur, ex malo quodam corporis habitu enasci.

XLVIII. Cùm verò nihil obstet, quò minùs ferro utamur, *cataraclæ* manu periti chirurgi, nullâ morâ, curanda est; quippe quoniam
nullo

nullo alio modo fieri potest, ut caliganti oculo dies reluceat.

XLIX. Duobus omnino operibus *cataraëta*, manu curari potest, deprimendo, nempe, et extrahendo. Quemadmodum verò hæc optimè exigantur, et utrum alteri sit antefendum, inter se auctores dissentiunt.

I. Nobis consilium est, quatenus in hujusmodi opusculo permittitur, ostendere, quæ utriusque operis commoda propria sint, quæ incommoda; nequaquam dubitantibus, quin clarissimè apparuerit, utrum opus, præ altero, eligendum sit, ex animo advertendo ad oculi fabricam; qualem nunc esse inter *anatomicos* convenit, qualemque MONRO, quo nullus hujus rei scientior, libro haud pridem edito luculentissimè demonstravit.

LI. *DEPRESSIO*.—Chirurgi diu antè *cataractam* deprimere solebant, quàm iis occurrit, posse etiam extrahi. Quocirca, res postulare videtur, ut, ante omnia, describamus, quemadmodum *cataracta* felicissimè deprimi possit.

LII. Oculo, ope specilli inter palpebras insiti, fixo, acus, aut ex partibus oppositis compressa, aut rotunda, decimam propè pollicis transversa partem post iridem, infigenda est; deinde, per tunicas oculi proprias, in superiorem lentis crystallinæ partem dirigenda: quibus cautè factis, chirurgus, parte acûs, quæ extra oculum est, elevatâ, lentem in imam humoris vitrei partem cautè detrudere debet. Hoc opere exacto, extrahenda cautissimè acus est, atque claudendus oculus.

LIII. Modo, quo optimè deprimatur *cataracta*, memorato, proximum est, ut, quemadmodum

admodum felicissimè extrahatur, paucis dicamus.

LIV. DAVIEL, PARISIENSIS, qui ætate suâ maximus fuit ocularius medicus, primus omnium, quantum scimus, ostendere conatus est, satius plerumque esse *cataraclam* extrahere, quàm deprimere. Ratio extrahendi, quæ nunc invalet, eadem est, cum ea, quam præcepit hic auctor, nisi quòd aliquanto simplicior est, et pauciora instrumenta requirit.

LV. Rebus, quæ operi usui sint, paratis, ante omnia, specillo idoneo inter palpebras insito cavere chirurgum oportet, ne oculus se vertat. Hunc in finem, anteferendum est specillum, cui primas concedebat MILLARIUS, quodque chirurgi nostrates ferme omnes cæteris anteponunt. Etenim hoc, nullâ ferme pressurâ adhibitâ, satîs inhibet oculum, ne
moveatur

moveatur, neque tamen tunicam *scleroticam*, sicut RUMPELTII digitale et PRAMARTII hasta, vulnerat.

LVI. Oculo fixo, tum in *cornea lucida* fit plaga, satîs ampla ut per eam lens eximatur. Hæc plaga, quæ, utî inter plerosque oculos convenit, per dimidiam ferè *corneæ* partem debet patere, facienda est scalpello idoneâ formâ, cujusque acies deorsum spectat; in mediam *corneam*, decimam sextam ferme pollicis transversî partem ab ejus margine, ubi iridi conjungitur, cautâ manu insito, dein, ex transverso, rectâ lineâ, oppositum canthum oculi versus, manu stabili nec intremiscente delato. Sic *cornea* inciditur lunatâ figurâ, cornubus sursum spectantibus, ac æquè distantibus ab iride.

LVII. Plagâ sic factâ, qua dimidia ferè *corneæ* pars dividitur, atque specillo educto,
tum

tum plerique chirurgi, per pupulam, metallum netum ferè obtusum inserere solent, quo lentis capsula incidatur. Alii verò, hunc in finem, *cystome* FAYII utuntur, quæ exiguum ferramentum est *canula* latens.

LVIII. Qualicumque ferramento chirurgus utatur, hæc operis pars ad lentem extrahendam multùm conducit. Si enim, post incisam *corneam*, lentem, cujus capsula nondum incisa erat, protrudere conaremur, fieri vix posset, quin prolaberetur humor vitreus.

LIX. Post capsulam lentis aliquo ferramento incisam, oportet orbem oculi paulatim et cautè comprimi; quo factò, lens plerumque facilè, anteriora versus, protruditur. Oculus deinde claudendus, per multos dies, est; atque omnia irritantia et stimulantia vitando cavendum, ne magna vis inflammationis superveniat, atque opus reddat improperum.

LX. Eos, qui plura, de utrisque operibus peragendis, et variis ferramentis, quibus usi sint ocularii, scire velint, ad chirurgorum scripta relegamus; quippe cùm nobis non vacet, de his fusiùs dicere*,

LXI. Modo, quo utraque opera peragantur, paucis descripto, nunc nobis in animo est, fusiùs dicere incommoda, quæ utrisque operibus objiciantur, et primùm quæ ei, quo *cataracta* deprimitur.

LXII. Lens crystallina, propriâ capsulâ inclusa, in fovea exigua anterioris partis humoris vitrei insidet. Capsula humoris vitrei, ultra *processus ciliares* producta, in duas laminas dividitur: quarum exterior cursum, anteriora versus, prosequitur, atque anticæ lentis parti, vigesimam ferè pollicis transversæ partem

E

ab

* Vid. BENJAM. BELL. *Surgery*, vol. iv.

ab exteriori ejus margine, inseritur; dum interea interior vitreo humori firmiter adhæret antrorsum usque ad lentem, cui adnectitur ad eandem distantiam post marginem exteriorem.

LXIII. MONRO satis demonstravit, *retinam* comitari externam capsulæ humoris vitrei laminam, cui agglutinatur, usquequò hæc antico lentis hemisphærio affigatur, vigesimam pollicis transversæ partem ab exteriori hujus margine*.

LXXIV. Quum lentis capsula sic ei humoris vitrei et *retinæ* connectatur, clarè constat, tantum anticam illius partem posse incidi, neque tamen hanc vulnerari. Quapropter, inter *cataraclam* deprimendam, chirurgus nequit acum inserere in posteriorem lentis partem,

* Vid. MONRON. *On the Structure and Function of the Eye.*

tem, quin eâdem transuat omnes oculi tunicas, ne exceptis quidem eâ humoris vitrei et retinâ.

LXV. *Cataractam* itaque deprimendo, fabrica oculi, ipso initio, multo magis læditur, quàm extrahendo; quo solæ partes vulneratæ, sunt *cornea*, nullo ferè sensu prædita, atque lentis capsula. Ad hoc, si unà cum lente capsulam ejus deprimat chirurgus, necesse est disrumpantur *retina* itemque capsula vitrei humoris, quæ ei adhærent.

LXVI. Haud equidem ignoramus, verti inter oculos, utrùm, necne, inter lentem deprimendam, capsula unà cum ea deprimatur. Nonnulli, semper detrudi, arbitrantur; alii, nunquam. Saltem non semper detrudi, nobis videtur, quippe quoniam, ex depressa *cataracta*, secundaria nonnunquam *cataracta* oritur. Fieri verò non potest, quin capsula
semper

semper plùs minùsve loco demoveatur, et a partibus disrumpatur, quibus adhærere solet; dum, ex lentem ipsam deprimendo, interna ubique fabrica oculi multum detrimenti accipit *.

LXVII. Majus detrimentum, quod oculus ex *cataraclâ* detrudendo, quàm extrahendo, accipit, satis est, quamobrem hoc illi opus anteponamus. Alia verò, quæ illi operi objiciantur, memorabimus.

LXVIII. Dura, necne, *cataraclâ* sit, ex diuturnitate vel colore priùs discerni non potest, quàm chirurgus manu aut detrudere aut extrahere conatus est. Haud rarò, conamine factò, adeò liquida invenitur, ut, insitâ acu, adimum oculum deprimi non possit, sed, ut inseritur acus, in humores oculi diffundatur.

Confitendum

* Vid. MONRON. *Treatise on the Eye.*

Confitendum quidem est, lentem sic diffusam, et cæteros humores luci impervios reddentem, interdum resorberi et evanescere. Hoc verò plerumque non omnino, vel saltem tardissimè, accidit.

LXIX. Lens, porrò, postquam summâ curâ sub humorem vitreum detrusa est, haud rarò ad pristinam sedem ascendit. Quoties hoc accidit, chirurgi, quibus hoc opus placet, præcipiunt, ut denuo lens detrudatur. Sed quid hoc ad rem? Etenim iterum depressa, iterum haud rarò, ut antea, in superiora fertur, interdum etiam in anticum cavum humoris aquosi. Quum verò non expectandum sit, dum, hoc in loco, dissolvatur, una homini visum recuperandi spes est, ut, primo quoque tempore, extrahatur; id, profectò, quod, præ læsa interna oculi fabrica, difficile in primis est.

LXX. Quinetiam, iris haud rarò transuitur acu, quam aggreditur chirurgus in lentem inserere. Atque, præter periculum ex vulnere, quod magnum est, effusus ex vulnere sanguis partem, ubi est, brevius diutiùsve luci imperviam reddit.

LXXI. Ad hoc, sive capsula lentis unà cum lente ipsa deprimatur, sive non, satìs superque constat, *cataraclæ* depressæ secundariam haud rarò *cataraclam* supervenire; atque, licèt semper, uti suprà (LXVI.) diximus, capsula lentis plùs minùs disrumpatur a partibus, quibus adhæret, lentis tamen partem luci imperviam haud rarò vel non penitùs detrudi, vel detrusam denuo ascendere et lumini officere.

LXXII. Denique, uti incommoda ex depressa *cataraclæ*, quæ memoravimus, peritiâ ocularii præcaveri non possunt, ita neque opus ip-

sum

sum potest commodius reddi. Idem, porrò, tentare audeat imperitissimus quisque circumforaneus medicus chirurgusve, quoniam injuriam, qua oculum afficiat, est difficile in primis percipere.

LXXIII. Dictis (LXII.—LXXII.) incommodis, quæ affert depressa *cataracta*, nunc paucis ea memorare, quæ extracta, nobis in animo est.

LXXIV. 1. *Cataractæ* extractionem haud rarò consequitur humoris vitrei prolapsio; quæ, profectò, semper aut mala ex curatione accidit, aut casu quodam iniquo.

2. Inter opus peragendum, speculum haud rarò oculo nimis apprimitur.

3. Si scalpello, cui est incommoda forma, utitur ocularius, humor aquosus subitò effluit;
atque

atque vitreus, obicibus sic disiectis, haud rarò, ex parte, prorumpit.

4. Nonnunquam, quod haud leve detrimentum affert, ocularius lentem, capsulâ ejus nondum sectâ, protrudere aggreditur. Simile malum accipit oculus, si, præ exiguitate plagæ, quæ in *cornea* facta est, opus sit, ut per eam lens magnâ vi extrudatur.

5. Post extractam *cataraclam*, humor vitreus interdum prolabitur, ex fasciis nimis arctis, quæ oculo applicantur.

6. A. In ægris, qui ad irritandum faciles sunt, si oculus rudi manu inexercitati ocularii tractetur, muscoli haud rarò convelluntur; atque non solùm eum injussu voluntatis vertunt, sed etiam, ex omni ambitu, comprimendo, humorem vitreum protrudunt. Motus hujusmodi musculorum aliquando, etiam
post

post opus peractum, metu vel terrore injecto * concitantur. Neque profectò ante quartum diem, quo circiter die plaga *corneæ* plerumque solidescit, ab hoc casu tutus æger esse potest.

B. Quando ex opere malè perfectò, vel ex oculo malè curato, vitreus humor prolabitur, inflammatio, quæ operi supervenit, ferme solito vehementior est. Oculus quoque plùs minùs collabitur, prout plus humoris minusve, per plagam *corneæ*, effluxerit. Rarò tamen hinc detrimentum accipit visus ; quum novus pòst paulò humor amissi vice fungatur. Longè maximum detrimentum, quod ex humoris vitrei prolapsione oculus capit, est injuria, quam hæc iridi affert ; de qua, res poscit, ut, hìc loci, paucis dicam.

F

LXXV.

* Vid. RICHTER. *Treatise*, Cas. II.

LXXV. 1. Inter lentem luci imperviam extrahendam, iris persæpe multùm læditur. Hoc, pariter ac humoris vitrei prolapsio, aut opere imperitè factò, aut oculo post opus malè curato, evenit, aut improvise quodam casu.

2. Nonnunquam, inter opus peragendum, iris scalpello vulneratur. Hoc accidit vel ex scalpello nimis mucronato, præ quo, ut in *corneam* insitum, se introrsum flectit; vel ex oculario scalpellum, justo propiùs tunicam *scleroticam*, inserente. Vulnera sic inflictà rarò aut figuram iridis mutant, aut hanc ipsam reddunt immobilem.

3. 4. Si per pupulam, cui, luce prorsùs exclusâ, non permissum est, ut se satìs ampliet, ocularius lentem protrudere subitò et enixè aggrediatur, hæc subitò antrorsum exsilit, atque sic exsiliente iris adeò dilaceratur aut læditur

ditur, ut, ex parte, immobilis fiat. Hoc tum maximè accidit, ubi lens solito major est.

B. Plerumque verò, haud longo pòst tempore, iris pupulam contrahendi ampliandique denuo potens fit ; eoque citiùs, quo maturiùs igne *electreo* * subventum est. Interdum tamen, post extractam *cataractam*, pupula paulatim contrahit sese, tandemque luci, ex toto, impervia fit. Hoc iis, præ cæteris, accidit, qui naturâ in podagram, scrofulam, aut *scorbutum* proclives sunt ; et in quibus dubium est, an depressam *cataractam* finis optatior consequeretur.

4. Unà cum humore vitreo, iris interdum, ex parte, prolabitur. Pars verò prolapsa plerumque statim reponi in sedem potest. Quòd si, præ sanata jam *corneæ* plaga, pars protrusa, quippe cùm nequeat reduci, emortua decedit,

* Vid. RICHTER. *Treatise*, pag. 132.

cidit, pupula figuram amittit, atque, ad tempus, se contrahendi atque ampliandi impotens fit. Nonnunquam tamen figuram et mobilitatem redipiscitur; atque homo visu, neque eo naturali multo obtusiore, fruitur*.

LXXVI. Operi, denique, quo extrahitur *cataraëta*, objici potest, cicatricem, quæ nonnunquam inferioris *corneæ* partis plagæ supervenit, impedire, quò minùs homo humilia, quæ plurimi interest discernere, clarè percipiat. Hoc quidem non sæpe accidit, propterea quòd oræ plagæ plerumque, nullâ cicatrice factâ, committuntur.

LXXVII. Tria (LXXIV.—LXXVI.) mala præcipua, quæ, ut nobis videtur, operi, quo extrahitur *cataraëta*, objicienda sunt, memora-
vimus. Duo priora, utpote quæ ex opere
inscitè peracto plerumque oriantur, vitari pos-
sunt.

* Vid. RICHTER. *Treatise*, Cas. II.

sunt. Tertium, scilicet, cicatrix, quam interdum *cornea* obducit, nihil ferè omnino incommodi afferret, si superiori hujus tunicæ parti, potiùs quàm inferiori, obduceretur; multo enim minoris hominum interest elatiora discernere, quàm humiliora.

LXXVIII. Hinc, multos abhinc annos, MONRO inductus est, ut audientes moneret, quò extrahatur *cataracta*, superius *corneæ* dimidium, potiùs quàm inferius, secandum esse. Præterquam quòd cicatrix, si superiori quando *corneæ* parti superveniat, non impedit, quò minùs humiliora oculus cernat, hujus partis incisio alia commoda affert, quæ, quippe quoniam a BELLIO fusè narrantur, hìc memorare non opus est*.

LXXIX. Quum nobis videatur, satius esse *cataractam* extrahere, quàm deprimere, atque

MONRONI

* Vid. BENJAMIN. BELL. *Surgery*, vol. iv.

MONRONI assentiamur, illo consilio, superiorem *corneæ* partem incidendam potius esse, quàm inferiorem; paucis dicemus, qua conditione corporis, et quibus ministris opus commodissimè faustissimèque perficiatur.

LXXX. Paucos antè dies, quàm opus ocularius aggreditur, carnes meracioresque potus caliganti, qui passurus est, ex toto, subtrahenda sunt; alvus lenioribus catharticis laxanda; atque, si ratio corporis desiderare, et pati posse videatur, mittendus etiam sanguis.

LXXXI. Paratis omnibus ad opus necessariis, et APOLLINE vocato, ante omnia considerandum est, quemadmodum commodissimè consideant ocularius et ferrum passurus. Oculario, qui lunatam plagam in superiore *corneæ* dimidio incisurus est, commodissimum erit, altiori sellæ, post infelicem opus passurum,

rum, insidere, sic, ut huic toto capite et collo superemineat. Sic enim positus, manu stabiliori, quippe quam non necessarium fuerit multum attollere aut demittere, incidet, simulque patientis caput potentiùs firmare poterit.

LXXXII. Ubi ex dextro oculo *cataraclam* extrahere statutum est, ocularius *specillo Millariano*, quod sinistrâ manu tenet, cujusque manubriolum sic flectitur, ut flexura nasum excipiat, præcavere debet, ne, inter opus, orbis oculi sese vertat; deinde *scalpello Richteriano*, cujus acies sursum spectat, vel, quod satius est, aliquanto exiguiore, cui tamen eadem figura est, superius *corneæ* dimidium, modo quo suprâ (LVI.) descripsimus, lunatâ plagâ incidere, cornibus deorsum spectantibus.

LXXXIII. Quibus (LXXXII.) factis, aquosus humor, ex parte, effluit, sed non ex toto, uti
accidit,

accidit, ubi inferius *corneæ* dimidium lunatâ plagâ inciditur. Pars aquosi humoris relicta, lentem et vitreum humorem, ex antica et inferiore parte, nonnihil suffulcit, neque iis permittit, ut tam subitò, antica versus, sedibus exsiliant. Prolapsione humoris vitrei sic plerumque vitatâ, rarissimè prolabitur iris. Quinetiam, inferius *corneæ* dimidium, quod, post finitum opus, integrum manet, obstat, tanquam obex, ne vitreus humor effluat, inter primos dies curationis.

LXXXIV. Superiore *corneæ* dimidio lunatâ plagâ (LXXXII.) inciso, proximum est, ut ocularius lentis capsulam patefaciat. Ad hoc faciendum, plerique oculariorum obtuso neto metallo utuntur, quo cautè et scienter insito scalpta capsula perforatur sic, ut foramine lens effluat.

LXXXV.

LXXXV. Hic, quasi in transcurso, haud a re nostra erit, observare *membranaceam cataractam*, seu caliginem lentis capsulae, haud rarò, ante tentatum opus, quo *cataracta* lentis ipsius extrahatur, existere. Nonnunquam autem hujusmodi opus consequitur, atque a chirurgis oculariis *cataracta secundaria* nominatur.

LXXXVI. Si ante opus, lentis (LXXXV.) capsulae pars caligat, nonnulli oculariorum contendunt, hanc partem, unà cum ipsa lente, extrahendam. Hoc verò, uti mihi videtur, fieri non potest, nisi, id quod interdum accidit, lenti caliganti propria capsula firmiter adhæreat. Imò, quamvis totam semper capsulam extrahere possent ocularii, tamen nunquam, opinor, aggredi debent; cùm fieri non possit, quin, inter opus perficiendum, *retina*, et hu-

moris vitrei capsula, ubi lentis capsulæ adhærent, disrumpantur*, atque grave hinc detrimentum oculus capiat.

LXXXVII. Secunda (LXXXV.) *membranaceæ cataractæ* species, cui *secundariam* ocularii dixere nomen, effectus est inflammationis, quæ vulneratæ, inter caligantem lentem extrahendam vel deprimendam, capsulæ supervenit. *Secundaria cataracta*, quæ depressam lentem consequitur, in posteriore parte hujus capsulæ consistit: quæ, contrà, extractam, in antica.

LXXXVIII. *Membranacea* (LXXXV.) *cataracta*, quæ aliquando, lente nondum depressâ nequedum extractâ, lumini officit, plerumque, sicuti observârunt auctores, anticæ lentis capsulæ parti insidet.

LXXXIX.

* Vid. MONRON. *Treatise on the Eye.*

LXXXIX. Quam ob (LXXXVIII.) rem, ocularii, quò tam hanc *primariam* lentis capsulæ *cataractam*, si lumini officiat, commodiùs unà cum ipsa lente extrahant, quàm, sin minus, præcaveant, ne *secundaria* capsulæ inter lentem extrahendam vulneratæ superveniat; debent, in secunda extrahendi operis parte, in qua iis consilium est lentis capsulam (LXXXIV.) patefacere, obtusi (LXXXIV.) metalli neti vice, *cystatome Fayeana*, cautâ nec intremiscente manu per pupulam insitâ, lentis capsulam incidere: quippe hoc instrumento anticam capsulæ partem commodiùs persecare possint.

xc. Capsulâ sectâ, luci aliquantisper offi-
ciendum, quò pupula satîs ampliatur. Tum,
levi pressurâ adhibitâ, lens, per ampliatam
pupulam et incisam *corneam*, facilè prolabi-
tur.

xcī. Opere alterutro finito, palpebræ protinus committendæ sunt, atque frigida quædam astringentia ipsis applicanda; neque, donec decem dies intercesserint, oculus nudari et explorari debet.

xcīī. Interea autem febris, quæ opus subsequitur, mitiganda est. Hoc consilio, opus est, ut æger a carnibus atque potulentis meracioribus, ex toto, abstineat, simulque omnia alia vitet, quibus cor et arteriæ incitentur. Eundem quoque in finem, oportet sanguis eâ copiâ ex brachio mittatur, quam vis febris requirat.

xcīīī. Inflammatio ipsius oculi optimè reprimitur, sanguinem, ex partibus oculo quàm proximis, hirudinibus impositis opportunè eliciendo, easdemve exulcerando.

xcīv.

xciv. Oculus, partibus vulneratis ad sanitatem perductis, atque fasciis submotis, obtentu quodam tenui nigro aliquandiu obumbrandus est, ne ex luce detrimentum capiat. Hic obtentus paulatim, primùm obscurâ luce, deinde clariore, dum vividam impunè pati possit confirmatus oculus, deponi debet.

xcv. Convalescentem oculum aquâ frigidâ subinde fovere, multùm ad confirmandum valet.

xcvi. Conspicillo, ex partibus oppositis, satîs cenvexo, convalescenti oculo appposito effici potest, ut, in utrisque oculis, transeuntes lucis radii foco consentiant, et homo, ut antea, res accuratè percipiat et discernat.

F I N I S.

